



PARS SECUNDA.

De Negligentia in Particulari.

Visum est de Negligentia in communi; modo descendo ad videndum de Negligentia in particulari, quod ut facilius, & recto, clarioque ordine dirigatur, ad singulos personarum status descendam, in Singulis proprium Articulum constituendo; servato ordine Alphabetico.

ARTICULUS I.

De Negligentia Abbatum.

Multa, quæ infra sunt dicenda, de Negligentia Prælatorum, aptantur etiam negligentia Abbatum; ideo ea quoque sunt recolenda; ad quæ te remitto.

1 Negligentia Prælatorum, regulariter peccatum mortale est, propter mala, quæ ex ea sequuntur. *Abbas in c. Nihil de rescript. Felin. in c. 2. de tregua, & pace, & satis expressit D. Gregor. relatus in cap. sit Rector dist. 43. facit c. si Papa dist. 40., quam Abbatum negligentiam, reprehendit dignè D. Bernardus in floribus lib. 4. c. 19.*

2 Primò, igitur cavere debet Abbas ne sit negligens in cura animarum sibi subiectarum, idest suorum Monachorum, ac cæterorum degentium in suo Monasterio, cui præest; nam sanguis cuiusque subditorum requiretur de manu Abbatis *c. ne religiosi in principio de regular. c. irrefragabili de officio ordin. Graff. decis. aur. lib. 3. c. 5. num. 132.,* ideo annuatim, debent fugitivos suos, & ejectos requirere, & ad monasteria perducere, atque ad penitentiam peragendam religiosa charitate, quantum fieri potest; trahere, vel etiam censuris compellere, ut ex *d. c. ne religiosi*, aliòquin si Abbates id negligant, primò lethaliter peccabunt,

Sylvest. V. Abbas num. 7., Fagnan. in d. c. Ne religiosi nu. 20. de regularibus, concordat c. irrefragabili de off. ordin., licet præcedat c. ne religiosi de regul. decretum, de annuatim perquirendo, & reducendo apostatas, non esse in usu dixit Tamburin. de jur. Abb. tom. 3. d. 8. q. 3. num. 5., quam sententiam, omninò redarguit *Fagnan. d. c. Ne religiosi nu. 4.,* sed non fuisse usu receptum testatur sub *num. 69.,* sed potius dicunt, Abbatem teneri statim perquirere fugitivum, ac novit aufugisse, nec debere expectare per Annum, *Suarez. de relig. tom. 5. tract. 8. lib. 3. c. 2. num. 18., & Tamburin. ubi supra num. 6. notat, quod si in reductione fugitivi, timeretur potius infectio aliorum religiosorum, quàm correctio ejecti, vel fugitivi, tunc posset prudenter agendo, Abbas negligere, idest non revocare ejectum, sed gratia Deo sunt referrendæ, ait D. Bonaventura loco ibi citato; non quia ille ejectus, aut fugitivus peccavit, sed quia Oves suas à pestifera contagione, Dominus liberavit.*

3 Nec omittendum puto, quod habetur in *constitut. 28. Urbani VIII. Incipit Sacra Congregatio §. 8.,* ubi hæc habet. *Cæterum Sacra Congregatio, Religionum Superiores, serivò admonet, ac per Jesu Christi viscera, obispatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis,*

dinis quàm profitentur, nihil intentatum relinquunt, ut lucrentur, animas Fratrum suorum, ferè in profundum malorum delapsas, antequàm gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemororum Prælatorum, regimine peribunt; Dominus noster Jesus Christus, in supremo Dei Iudicio, de eorundem prælatorum manibus, sit requisiturus; & tandèm an pœna privationis offitiorum, & aliæ inflicta ex præfæcto decreto Sacr. Congreg., incurrantur, ab Abbate negligente perquirere annuatim, vel statim fugitivum, cum negligere, non sit facere contra decreta illa, sed sit non facere, seu non exequi, vide Tamburin. supra num. 9., & in c. cum ad Monasterium de statu Monachorum post medium f. ibi; Abbas verò quanto frequentius poterit, sit cum fratribus in Conventu, vigilem, curam, & diligentem sollicitudinem, gerens, de omnibus, ut de officio sibi commissio, dignam Deo possit reddere rationem, quod si prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor, seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit, non solum ab officio deponendum, c. Monachi de statu Monachorum, c. cum ad Monasterium, c. Abbates 18. quæst. 2., sed & alio modo, secundum regulam castigandum, cum offensa, non solum propria, verùm etiàm aliena, de suis manibus requiratur, & iisdem ferè verbis decrevit Sacra Congreg. Concilii, annuente Urbano VIII. die 21. Septembris 1624., relata per Tamburin. de Jur. Abb. tom. 5. d. 8. quæst. 3. §. ad hæc in fine. Iddèque Abbatiam esse potius nomen sollicitudinis, quàm honoris; dixit Rota in Aquen. Monasterii coram Lanceloto 31. Maii 1568. num. 8. impressa post tom. 3. Tamburin. de jur. Abb. decis. 9. post glos. in c. tuam V. non ascendat, ubi Innoc., & Abbas de ætate, & qualitate; alioquin peccare graviter dicit Card. in Clem. 1. de vita, & honestate Cler. Graff. decis. aur. lib. 3. c. 5. num. 146., negligentiam enim in Prælato punitur, ac dolus, c. dictum dist. 81. c. nemo de statu Monachorum.

5 Ex quibus colligit glos. in Vers. Negligens, quod Abbas, propter negligentiam, potest removeri, c. si quis Abbas 18. quæst. 2., cum aliis concordantiis ibi per glos. alleg. Tamburin. de jur. Abb. tom. 2. d. 13. quæst. 2. num. 4.

6 Propter negligentiam autem Abbatis, in præmissis, supplet Jurisdictione Ordinarius loci, absque alia interposita appellatione aut recurso *c. Quanto de officio ordinarii, sicuti Episcopus exercet Jurisdictionem, tamquàm Apostolicæ Sedis delegatus, contra ipsos regulares vagabundos, ejectos, aut delinquentes, & degentes extra claustra, Trid. sess. 6. c. 3. de reform., & sess. 21. c. 8. de reform., Ubi Barbosa num. 11., & sess. 25. c. 14.,* Ubi quod si instante Episcopo, superior regularis, suos subditos delinquentes extra claustra, non puniat, propter hanc negligentiam, jurisdictio devolvitur ad ipsum, Episcopum, & potest punire regularem, qui extra claustra delinquit; non tamen per censuras, ut notant D. D. relati per *Barbosam ibid. num. 10.,* licet plures dissentiant *ibid. pariter allegati, & quoties non esset Superior, qui puniret, religiosum extra claustra delinquentem, Episcopus suppleret, & puniret, Bordon. ressol. 7. 4. 11.,* quod dictum conatur limitare *Cespedes de exempt. regul. dub. 236.*

7 Qui cupit videre rationes, per quas regulares reputant ejectos, non revocare ad Claustra, legat *Fagnanum in c. Ne religiosi à num. 44., & seqq. ubi, & responsiones, de regular.*

8 Secundò, Negligentia Abbatis, in admonendo Monachos, & corrigendo, de eorum defectibus, graviter peccaminosa est, itaut tacendo, eos dicatur occidere, *tex. clarus in c. episcopus dist. 43.,* quia error cui non resistitur, approbatur *c. error. dist. 43., & si Monachi frequenter transgrediantur eorū regulas, & Statuta, etiam cum levi, seu veniali culpa, adhuc Abbatem teneri sub mortali eos corrigere, & admonere, alioquin, negligentia culpa mortalis erit, gravem abusionem dicit Roderic. qq. regul. tom. 4. tit. 4. c. x. num. 1., & c. 25. nu. 2., Tamburin. de jur. Abb. tom. 3. dist. 3. q. 6. num. 10., Lezana p. 1. c. 12. num. 9., Pasqualig. decis. moral. 82. 83., quia frequentata transgressio, est graviter læsiva statui perfectionis, & obedientiæ, quàm Monachi profitentur; & si Monachi, seu Regulares quicumque, extra Monasterium degant, vagentur per Curias &c., pecunias habeant tamquàm proprias, nec Abbas corripiat, non revocet, neque ab illis emendationem exposcat, hujus negligentiam supplet Episcopus *c.**

quanto officio ordin. , ubi *Immola num. 1.* , ubi quod eadem dispositio intrat, in quibuscumque Superioribus regularium, quocumque nomine nuncupentur *Cespedes de exempt. regul. c. 16. dub. 244. num. 46.* , & *Trident. sess. 25. c. 4. de regul.* , quia Monachus, sive Religiosus, extra claustra, vivere spirituali vita, nequit diutius, sicut Piscis extra aquam brevi corrumpitur *c. placuit communi 16. q. 1.* de quibus omnibus latè habetur in *Clem. Ne in agro de statu Monachorum* , quæ utinam servarentur, ab Abbatibus, ac Superioribus regularium, eorumque negligentiam supplerent, vel saltem excitarent Episcopi, quia Summi Pontifices, hodie non fatigarentur in suppressione religionum, ac regularium moderanda laxitate; dixi (vel saltem Episcopi supplerent auctoritatem, excitarent Abbatum negligentiam) quia ex dicto *c. quanto de officio ordinarii* constat Episcopos, ad hoc teneri, & si negligent in culpa gravi sunt, de qua reddent rationem, in novissimo die, quia saltem post Abbates, & regularium Superiores, tenetur Episcopi *Barb. ad d. c. quanto n. 5.*

9 Abbates autem negligentes in præmissis, velim legerent attentius, quæ scripsit *S. Bernardus de Negligentia Abbatum* , relata in *lib. 4. florum S. Bernardi c. 18.* , desumpta ex libro 4. apologetico ad *Gulielmum Abbatem col. 11.* ubi hæc (*Miror cum regula dicat, ad magistrum respicere, quidquid à discipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, sanguinem in peccato morientium, de manu Pastoris requirendum esse minetur, quomodo Abbates nostri, talia fieri patiantur, nisi forte, si audiam dicere, nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit, siquidem humanitatis est omnium, in quibus sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci, ita Bernardus.*

10 Tertia, Negligentia Abbatis, in adimplenda dispositione decreti *Clem. Ne in agro S. ad ampliationem de Statu Monachi* , scilicet, si opes Monasterii sufficiant, de providendo, & tenendo in Monasterio Magistros, qui Monachos in scientiis instruant, Sacram Scripturam, in suis Monasteriis explant *Trid. sess. 5. c. 1. de reform.* , ubi quod si Abbates sint in hoc negligentes, Episcopi locorum, tamquam Apostolicæ sedis delegati, eos opportunis remediis compellat *Barbosa ad d. c. 1. num. 42. de off. & potest.*

Episcopi p. 3. alleg. 56. num. 16. , *Farinat. leo in Thesaur. fori Eccl. p. 3. c. 2. num. 59.* , *Tambur. de Jur. Abbatum tom. 3. disp. 2. q. 5. num. 3.* , & concordat textus in *c. Prohibeatur in fine de Magistris.*

11 Quarta, Negligentia, est in custodia bonorum Monasterii, cum dominium talium bonorum, non possit stare cum voto paupertatis, sed est custos, & administrator eorum, ut latè ostendit *Tambur. de Jur. Abbatum tom. 3. d. 11. q. 2. num. 3.* , quare si negligens, erit in eorum custodia, & administratione, reus erit culpæ, qualis autem culpæ, benè distinguit *Tambur. supra dicta disp. 11. q. 1. num. 10.* , vel Abbas se ingerit, in acquisitione suæ Prælaturæ, quod magnæ imprudentiæ est, ait *D. Bernardus lib. 3. Flor. c. 1. ad medium* , & tunc tenetur de culpa, non solum lata, sed etiam levi, quia ad sui commodum, dignitatem recepit; vel non se ingressit, sed passivè tantum se habuit, acceptado dignitatem sibi impositam, & tunc tenetur tantum de culpa lata *Nald. in Summa V. bona num. 14. glos. in c. unico de commodato in V. de levissima* , quia est in causa, ut alius diligentior non custodiat per allegata ibi per *glosam Lessius de just. & Jur. lib. 2. c. 41. dub. 9. num. 79.* , *Sylvest. V. Prælatu 9. 4.*

12 Quinta, Negligentia consistit, in non præcedendo cæteros religiosos, bonis moribus, & exemplo, non enim sufficit ut Abbas, & Prælatu sit bonus sibi, & in se, sed debet tamquam lux, exemplo suo vias subditorum collustrare, illuminare, dirigere, sicut Dominus Apostolis dixit, *vos estis lux Mundi, & lucerna accensa* , quæ non sub modio, idest in Abscondito, sed super candelabrum *Matth. 5.* , dicitur ponenda, quia Prælati, & Abbates debent cæteros exemplo præire, quod si negligent, graviter errant, & potissimum caveat Abbas, ne negligat vitam communem, idest esse cum aliis in Monasterio, in Refectorio, & Choro, & aliis locis, in quibus communiter concurrunt, & conveniunt Monachi, alioquin si singulariter vivens, non frequentet Chorum, Refectorium &c. propriis commodis incumbens, id facile trahitur, à Subditis in exemplum *c. magnæ de voto* , hinc Monachorum murmuraciones, detractiões, neglectus, dissidiæ, quorum omnium occasione dicam causa, fuit Abbatum Negligen-

gentia, de quibus verificari illud; *Ezechiel. 44. vob pastoribus in Israel, qui pascebant semetipfos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Emanuel. Rodriguezq. canonic. regul. tom. 3. q. 34. art. 5. V. omnia hæc etiam* , semper enim debet Abbas habere præ oculis illud *Eccles. 32. esto in illis, quasi unus ex illis* , & si volunt præesse, præ sint etiam in choro, in Monastica disciplina, in observantia, in oratione, Meditatione, idest primi sint in eis, nec putent eorum negligentiam in eis, parvi esse momenti, quia idè hodie nõ floret Sanctitas, in Monasteriis, ut olim, quia Abbas negligit observantiæ religiosæ, se in omnibus, & cæteris, exemplum præbere; da namque Abbatem sanctum, & ecce Monachorum status, reformatio in melius, ut toties, docuit experientia, & utinam in hoc saperent, & intelligerent, si sint qui negligent, & tandem Abbates, ac Religiosorum priores, debent esse potentes in opere, & sermone; *Gonzales ad reg. 8. hodie 9. canzel. glos. 8 num. 114. ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres suos instituere possint in bono, & à malo etiam revocare, ut sunt formalia verba tex. in c. cum ad Monasterium 6. prior autem de Statu Monachorum* , ubi subsequitur, quod si Abbas fuerit prævaricator ordinis, aut contemptor, seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit ab officio deponendum, sed & alio modo, secundum regulam castigandum, & sufficeret si Abbates, & cæteri religiosorum prælati, considerarent, quod quando Monachis, præferuntur, non idè absoluuntur, ab observantia regulari, ut in eis laxetur, sed ut cura, solertia, & diligentia, ad religiosam perfectionem cæteros excitent.

13 Sexta, Negligentia est, si non curent, ut officium divinum, in eorum Ecclesiis, debitis horis, & statutis temporibus persolvatur *Clem. 1. de celeb. Missarum* , ad quod tenentur sub mortali, *Lezana summa tom. 1. tit. de obligationibus prælatorum regularium n. 69.* , & etiam *cap. 18. tom. 4. V. officium divinum num. 3.* , & dixerat prius in *c. 12. n. 9. tom. 4. V. officium divinum Medina C. de orat. 4. de horis canonicis dub. 1.* , *Diana p. x. tract. 14. ressol. 3.* ; Immo & si ipsimet Prælati, negligent chorum frequentare, peccant mortaliter, nisi in actibus officii sui impliciti, impediuntur *Suarez. de religione tom. 2. lib.*

4. de horis canonicis c. 10. num. 8. , *Lezana tom. 4. V. off. divinum num. 3.*

14 Septima, Negligentia Abbatis, nocet Ecclesiæ, quatenus contra Ecclesiam currit præscriptio *c. auditis de præscript.* , *Pechius de reg. Juris 76. sub. num. 5. V. quanto ex eo.* Limita tamen prædicta in Abbate, qui omittit celebrare anniversarium, aut aliud onus implere, pro quo monasterium annuum capit legatum, cum eo onere, & conditione, quod si omiserit implere illud onus, privetur legato, & applicetur alteri Ecclesiæ, nam etiam data negligentia Abbatis, in onere implendo, & sequuta omissione, per aliquos annos, tamen Monasterium propter Abbatis negligentiam, non privatur legato *Felin. latè conf. 34.* , & post eum *Pechius ad reg. Juris 76. num. 4.* , quia delictum personæ, non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, & tetigi in prima parte, & dicam infra, de negligentia hæredum, ac legatariorum.

15 Octava, Negligentia, committitur, si non puniant infra terminum, Abbati præstitutum, ab Episcopo Monachum, quem Episcopus, capere fecit ob delictum commissum extra claustra juxta *Trid. sess. 6. cap. 3. de reform.* , & *sess. 25. cap. 14. de regul.* , in quo casu, in pœnam negligentia Abbatis, ius puniendi Monachum taliter delinquentem, devolvitur ad Episcopum, ad allegata per *Navaram summa bullarum comment. 107. n. 2.* , & *15. ubi num. 5.* quod ut devolvatur Episcopo, debet instantia facta Superiori regulari, esse judicialis; quoad expressas vide *num. 28.*

16 Nona, Negligentia Prælatorum, & valde damnosa est, si Abbas noverit Monachum esse hæreticum, vel de hæresi suspectum, & dissimulet, taceat, atque denunciare omittat, tum quia periculum est, ut alios corrumpat, ut dicit *D. Ambrosius lib. 2. officiorum c. 24.* per hæc verba *Ubi contaminationis periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leve* , & ad litteram *S. Leo serm. 4. de colect. hæc habet Monachos ubicunque latentes, Vestris præbiteris publicate, magna est enim pietas, prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt diabolus debellare* ; & infra sequitur *non sinantur late-re homines, qui prophetis, & Sancto Spiritu contradicunt* (& idem *Sanctus Leo sermone 5. de Jejunio ex 10. mense ait*) *illud monacho dilectis*